Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 149
Quelle:
Copyright:

Cantici Canticorum, cujus hoc initium: *Concentum celi dormire quis faciet. Job. XXXVIII. Per Nominativum significatur causa efficiens istius operis id est Salomon. Materia per concentum celi id est concors denuntiatio et desiderium sanctorum patrum qui desiderabant nuptias diuine nature et humane* &c. Scholasticum aevum haec sapiunt; autor tamen me latet. Finit ille: *descende ad valles ad minores. vel descende super montes et per ipsos ad nos.* Membranae Codicem ambientes scatent Notis *homileticis*, et *grammaticis*, in quibus *Papias* et *Huguitio* citantur. In 1. antica legitur: *Anno ab incarnacione domini M°. C.* LXXX. VII. In 4. vero sub finem inter quaedam erasa literis rabbinicis *Epistole de Paolo*, unde Codex in manibus Judaei *Itali* aut *Hispani* fuisse videtur; illum vero, ut Thecae intus adscriptum est, *Dominus H. tercius prepositus attulit Monasterio sancte Dorothee.* Fuit is *Henricus Bouel Alsata*, prius in Ducali Collegio *Viennae* Professor, et AA. Decanus, electus Praepositus 1421. *Locherus* in *Spec. Acad.* ad an. 1411. quo Decanatum gessit, eum *Bomel* adpellat.

CI.

R. 3096 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 160. f. min. eadem ratione eleganter exaratus, qua superior, aliud est *Epistolarum D. Pauli* Exemplar itidem ad *Monasterium S. Dorotheae* olim pertinens. Hic vero praeeunt *foll.* 8. Connotata varia hermeneutica et PP. Loca praecipue de Sacramentis nullo ordine congesta, ad quorum calcem legitur: *Hic liber* (quaedam erasa) *allatus est a casamarij.* Quod quid sibi velit, ignoro; certe non *Plinii* Populos *Casamarri.*

CII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3106
XIII. Folior. 184. 4. maj. eadem ratione eleganter exaratus, ejusdem Argumenti, et olim inter Libros Episcopatus *Neostadiensis Austriae. Foliis* 2. praecedentibus variae Sententiae theologicae congestae sunt; ultimis vero 2. *Homiliae* II. inscriptae, quarum prior incipit: *In omnibus uiri fratres que gessit christus ihesus humilitatis preceptum exhibere uoluit* &c. Altera: *Penitentiam agite. appropinquabit enim regnum celorum. Euangelice lectionis tuba domini, mei cotidie insonat auribus nostris* &c. Praeterea postremae Textus *Paulini* paginae superstitiosas imprecandi *Formulas* contra Pecorum infirmitates, contra Vermes, et fluxum Sanguinis e naribus Stolidus quidam illevit, quas repetere piget.